

ptum omittitur, & in materia Substitutionum nonnulla, & noviter, & verè considerata in medium proferuntur.

SUMMARIUM.

- 1 Substitutionem verè ac propriè institutionem esse, ex sententia quamplurimorum, quæ ab Authore probatur.
- 2 L. si mulier, 20. §. finali, ff. de conditionibus institutionum, remissivè, latissimè tamen explicata à multis, qui hoc num. & seq. præcitantur.
- 3 Substitutionis institutionem non esse propriè, ex sententia aliorum.
- 4 Quæ auctori non placet, & ejusdem fundamentis plenè, & conclusivè satisfactum ab aliis ostenditur.
- 5 Auctori melius esse putavit nonnulla, quæ non ineleganter notare possent in hac materia, intacta relinquere, quam in his insistere, quæ ex professo, plenèque explicantur ab aliis.
- 6 Substitutionis in genere, infinitæ diffinitiones relata.
- 7 Substitutionem secundam institutionem dici ex sententia Accursii, quæ ab Authore probatur.
- 8 Et omnibus fundamentis, quæ in contrarium excitari possent, plenissimè satisfactum ostenditur. atque de hac re Alexander Trentacinqvius, Sfortia Oddi, & Paulus Leonius commendantur omnino.
- 9 Substitutionis diffinitiones, à Paulo Leonio, & Thobia Nonio consideratas, probabiles esse ex sententia Auctoris.
- 10 Substitutio vulgaris, quare sic appellata?
- 11 Substitutiones quare introductæ? & in id Petri Gregorii locus noviter adductus.
- 12 Substitutionis vulgaris diffinitiones infinitæ relata.
- 13 Substitutionis vulgaris vera diffinitio traditur, & num. seqq. noviter, & melius quam hæcenus explicatur.
- 14 D. Spino deceptum in allegatione Fumei, & Politi, noviter detectum per Authorem.
- 15 Verbum quoddam ab Antonio Pichardo communi vulgaris substitutionis diffinitioni noviter adjectum, necessarium non esse, nova Auctoris consideratio in hac materia.
- 16 Substitutionis vulgaris diffinitio optimè explicata.
- 17 Pauli Leonii præcipuam rationem contra diffinitionem communem cessare, noviter animadversum ab Authore.
- 18 Substitutiones omnes vulgares aditione hereditatis exspirant.
- 19 Substitutionis vulgaris nova diffinitio refertur, quam Petrus Gregorius Tholosanus non malè consideravit.
- 20 Auctoris in scriptura hujus Capituli, finis, & intentio proponitur.

Substitutionem verè & propriè institutionem esse, cap. 81. lib. 1. assertione 1. notavimus: item assertione 2. 5. & 6. alia in proposito diximus: nunc verò ut quorundam Scribentium sententias in proposito notaremus, placuit hac de re nonnulla, breviter tamen, & distinctè scribere: & in primis animadvertere superiorem sententiam, & assertionem illam probatam à multis; sic enim expressè tenuerunt Glossæ, in leg. Gallus, in princ. in verbo, posse, ff. de liberis & posthumis, & in l. 1. in verbo, moveatur, vers. item facit pro eo, C. de edicto Divi Adriani tollendo. Bart. Bald. Paul. & Imola in leg. mulier, §. finali, ff. de condit. institut. & ex antiquioribus innumeris alii, qui à sequentibus præcitantur, & defendunt Jason in l. Centurio, n. 62. ff. de vulg. & pup. substit. & in l. qui liberis, §. hæc verba, num. ultim. ff. eodem tit. & in l. si à primo, n. 14. & in d. l. Gallus in princ. n. 28. ff. de liberis & posthumis, ubi in id expendit nonnulla jura, & inter alia, dicit esse meliorem textum de jure in l. mulier, 20. §. finali, ff. de conditionibus institutionum. Curtius junior in consil. 48. num. 2. & esse communem

resolutionem testantur, & multos alios referunt Petrus de Peralta in rubrica, ff. de hæredibus instituendis, n. 18. 19. & 20. Costa in cap. si pater, de testamentis, in 6. 1. part. verb. instituendo, numero 1. ante finem, & latius, ex num. 5. ubi optimè in proposito loquitur, & latè agit de intellectu textus in l. mulier, 20. §. finali, ff. de condit. institut. latè etiam & prolixè quidem, Caldas Pereira de nominatione emphyteut. q. 8. ex num. 14. usque ad n. 25. Corrasius in rubrica, C. de impuberum, num. 7. & ibidem Curtius junior num. 10. Menchaca de successionum progressu, lib. 2. §. 12. num. 1. & 2. & lib. 2. §. 23. num. 39. Politus in tractatu substitutionum, in 1. part. in princ. Covarr. in cap. Rainuntius de testamentis, §. 4. numero 3. Antonius Gomezius tomo 1. variarum, cap. 3. num. 1. & ab hac opinione recedendum non esse, rectè dixit Pichardus in rubrica, Institut. de vulgari substitutione, num. 14. ad finem, qui videndus est ex num. 13. cum multis seqq. quamvis contrà tenuerint nonnulli à superioribus relati, maxime Sapia, Ripa, Socinus, Decius, Ludovicus Zant. Balonus, & alii quos in unum congesti Michaël Grassus receptarum, §. substitutio, quest. 2. qui contendunt substitutionem non esse institutionem propriè, licet etiam contrà tenerit D. Spino in speculo, gloss. 21. num. 6. & 7. Quorum fundamentis abundè, & verè satisfieri potest ex his, quæ superiorem Glossæ, & Bartoli opinionem defendens eleganter annotavit Alexander Trentacinqvius de substitutionibus, in præfatione, ex n. 12. usque ad n. 20. ubi etiam agit de intellectu dict. leg. mulier, 20. §. finali; ex his etiam, quæ Peralta, Costa, & Pichardus ubi supra scribunt, & verè concludunt: nec satisfacit Grassi concordia, aut distinctio d. §. substitutio, q. 2. Denique ex dicendis statim, alia plura ex proposito, consultoque prætermittit; melius enim esse putavi, nonnulla, quæ non ineleganter notare possem in hac materia, intacta relinquere, quam in his insistere, quæ ex professo, plenèque explicantur ab aliis.

Secundò & principaliter constituendum est, quod ad secundam attinet assertionem, substitutionibus in genere infinitas tradi diffinitiones communiter per Doctores in rubr. & in l. 1. ff. de vulg. & pup. substit. in rubrica, C. de impuberum, per Polit. Fumeum, Zelum, Sfort. Vald. de Ubald. & alios in tractatu substitutionum, in princ. & undecim diffinitiones tradit Leonius in eodem tractatu in princ. 1. part. ex num. 1. usque ad n. 54. Harum aliarum verè non sunt, aut non constant, ut debent; aliarum verò aliqua ex parte deficient, & de facili subverti possent. Covarr. etiam in cap. Rainuntius, de testamentis, §. 4. in princ. ubi ipse novam tradit diffinitionem: latissimè Bolognetus in rubrica, ff. de vulg. & pup. substit. ex n. 25. usque ad n. 49. Petrus Gregorius in syntagmate juris, lib. 42. cap. 1. n. 1. Welsembecius, Cujacius, Hotmannus, Baconius, Loriotus, & alii exteri, quos in unum congesterunt D. Spino in speculo gloss. 21. num. 1. Antonius Pichardus in rubrica, Institut. de vulg. substit. num. 8. & ultra eum, Thobias Nonius, Sfortia, Grassus, Alexander Trentacinqvius, & alii, quorum illicò mentionem faciam.

Communior tamen, ac verior quidem diffinitio est, quæ ab Accursio traditur in rubrica, ff. de vulg. & pup. substit. ut substitutio sit secunda institutio, uti probaverunt eam communiter Scribentes ibid. ut constat ex Jasone num. 5. Ripa n. 2. Alciato n. 1. Zasio, Polito, & Fumeo dict. tractatu, de substitut. in princ. ubi Fumeus ipse num. 4. novam diffinitionem adducit. Socinus jun. in l. centurio, in princ. ff. de vulg. & pup. substit. atque etiam Cagnolus in l. precibus, in princ. C. de impuberum. Forcatulus dialogo 23. Guil. Bened. in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, adjiciens ut Alterocha, numero 19. Viglius in rubrica, Institut. de vulgari substitut. in princ. Costa in cap. si pater, de testamentis in 6. in verbo, adjiciens numero 1. Stortia Oddi in tractatu Compendioso, in præfatione, part. 1. quest. 1. Sapia in rubr. C. de impuberum num. 2.

num. 2. Baldus de Ubaldis de substitut. in princ. præfatione, num. 1. Michaël Grassus receptarum, §. substitutio, quest. 1. Fumeus ubi supra, num. 1. D. Spino in speculo d. gloss. 21. num. 1. Alexander Trentacinqvius de subst. in princ. in præfatione. n. 2. Et quamvis de hac diffinitione dubitet Covarr. dict. §. 4. in princ. Fumeus etiam ubi supra, num. 1. nec firmiter in ea insistant alii, qui à superioribus præcitantur; ipsa tamen vera est, & tenenda, nec latius à me ad præsens corroboratur, propterea quod jure, & ratione probatur plenè per Antonium Pichardum in rubrica, Institut. de vulgari substitut. num. 1. qui num. seq. plenissimè satisfacit omnibus fundamentis, quæ in contrarium excitari solent communiter, tacet tamen inter alios, tres Authores, qui ante ipsum hac de re latissimè, atque ex professo scripserunt, & qui superiori diffinitione defensa, contrariæ partis rationibus ex proposito satisfaciunt: horum occasione in proposito nolui amplius insistere, sed commendare Alexandrum Trentacinqvium de substitut. in præfatione, ex num. 2. usque ad n. 12. Paulum Leonium in eodem tractatu, in princ. 1. part. ex num. 2. usque ad num. 35. Sfortiam in præfatione, tractat. Compendioso, part. 1. quest. 1. per totam: ipsi enim omnia adducunt, quæ contra eandem diffinitionem ponderantur ab aliis, & illis distincta, atque absolutà manu respondent; & vide Caldam de nominat. emphyt. d. quest. 8. ex num. 14. cum seqq. Potest etiam probari (in idem enim tendit, exactior tamen est) Thobias Nonii diffinitio, ut substitutio sit, in secundo, vel ulteriori gradu facta institutio, prout defendi posse advertit, & latius declarat Trentacinqvius ubi supra, num. 12. & sibi tribuens, prædictoque non referens, Antonius Pichardus in rubrica, Institut. de vulgari substitut. num. 9. Defendi etiam potest Pauli Leonii diffinitio de substit. in princ. 1. part. num. 52. Substitutionis enim naturæ convenit, nec in se continet aliquid, quod otiosè, aut superfludè dictum appareat.

Tertiò & principaliter constituendum est, (quod ad §. 6. Assertionem pertinet) Substitutionis vulgaris etymologiam sic tradi cõmoniter, ut ideò dictam vulgarem substitutionem existimaverint Doctores, quia vulgo à quolibet inter testandum fieret, & à quolibet de vulgo, id est, de populo, & cuilibet de vulgo, id est, de populo hæredi instituto fieri posset; sic scripsit Bartolus, in l. 1. n. 5. ff. de vulg. & pup. substit. quem ibidem sequuntur Aretinus n. 7. Jason n. 13. & Alciato num. 9. Theophilus in princ. Institut. de pup. substit. Viglius in rubrica, Institut. de vulgari, num. 6. Connanus commentariorum juris civilis, libro 10. cap. 7. num. 2. Guil. Bened. in cap. Rainuntius, de testamentis, verbo, si absque liberis, in tractatu, de vulgari, n. 7. vers. Primo respectu. Sfortia in præfatione Compendioso, part. 2. quest. 1. Covarr. in dict. cap. Rainuntius, §. 4. num. 3. ubi in id expendit leg. 1. tit. 5. part. 6. Cagnolus in l. precibus, num. 3. C. de impuberum. D. Spino in speculo gloss. 22. num. 2. in fine. Anton. Govean. lib. 1. variar. lect. cap. 28. Cujacius lib. 7. observationum, cap. 20. Baldus de Ubaldis in tractatu, de substitut. vulgari, num. 1. Bartol. de Hucio in eodem tractat. cap. 1. num. 1. & Antonius Fumeus ibidem, in princ. Lancelotus Politus de vulgari substitut. n. 1. Udalricus Zafius ibidem, num. 1. & Paulus Leonius ex num. 2. Petrus Gregorius in syntagmate juris lib. 42. cap. 12. in principio. Et his non relatis, Antonius Pichardus in princ. de vulgari substit. n. 8.

Dicitur autem Vulgaris ex aliis etiam rationibus, quas cumulavit Bartolus in d. l. 1. ff. de vulg. & pup. substit. num. 5. ubi prosequuntur omnes Doctores communiter: plenè Bald. de Ubaldis, Bart. de Hucio, Guil. Bened. & Pet. Gregorius ubi supra, qui exponunt quinque modis eam substitutionem rectè dici Vulgarem, ut ibi videri poterit.

Deinde, substitutiones vulgares ideò introductas existimaverunt nonnulli, quòd olim sine hærede decedere maximum dedecus fuisset, §. licet. Institut. quibus ex causis manumittere licet, vel non: idcirco sine injuria Joan. del Castillo Quotid. Controv. Juris, Tom. II.

creditorum, servum necessarium hæredem instituere, & consequenter libertatem ei relinquere permissum fuisse, constat ex textu in l. potest. 36. ff. de vulg. & pup. substit. cum aliis multis: cum ergo sæpè evenire posset, ut primo loco institutus hæres, vel nollet, vel non posset hæreditatem adire, sicque defuncti testatoris bona ex defectu hæredis instituti primi, aut alterius legitimi ex lege Papia, caduca efficerentur, & ad fiscum deferrentur, l. unica, in princ. C. de caducis tollendis, optimo consilio substitutiones introductæ sunt, ut quemadmodum potest quis plures hæredes instituere, §. & unum, Institut. de hæredibus instituendis; sic & plures gradus hæredum facere, per text. in dict. leg. potest, 36. ff. de vulgari & pup. substitut. & in principio, Institut. eodem tit. ut sic voluntas testatoris effectum sortiri possit, ipsèque sine hærede minimè decedat: quod elegantissimè advertit Petrus Gregorius, quem nullus in proposito refert, in syntagmate juris, lib. 42. cap. 12. in princ. ubi dicit, Jureconsultos hanc testatorum providentiam facile probasse; cum enim concessissent, ut uti quisque legasset super familia, pecuniarè sua, ita jus esset, leg. verb. legis, ff. de verb. signific. necessariò permitti oportuit, ut quibus permilla erat hæres institutio, permitteretur & cautio, ne sine hærede decederent, deficienti primo, vel ante mortem testatoris, vel ante aditam hæreditatem, vel eo repudiante: & idem in effectu, licet non ita eleganter, animadvertunt Paulus Leonius de substit. cap. 1. n. 38. & tribus seqq. Sfortia Oddi in præfatione Compendioso, part. 1. q. 4. Joannes Bolognetus in rubr. ff. de vulg. & pup. substitut. n. 6. & nullum ex his referens Antonius Pichardus in rubrica, Institut. de vulgari substitutione, n. 66. 67. & 68.

Quartò & ultimò constituendum est, Substitutionis vulgaris infinitas diffinitiones traditas per Doctores in mille locis, maxime in ordinariis, ad quos Lectorem remitto. Imola in l. 1. ff. de vulg. & pup. substit. col. 2. vers. extra Glossam, sic diffinit, quòd Substitutio vulgaris, est Substitutio directa, quæ à quolibet & cuilibet fieri potest, nihil specialitatis habens: sed hanc diffinitionem damnare solent Doctores communiter, & meritò quidem, quamvis nonnullis obstaculis responderi conetur Paulus Leonius de substitut. cap. 1. ex numero 2. usque ad num. 7. inter alios tamen, concludentes rationes contra Imolam considerat Lancelotus Politus in eodem tractatu, de vulgari substitut. in princ. Aliam diffinitionem adducit Paulus Leonius ubi supra num. 7. & 8. Aliam Politus ubi supra, quem sequitur Zafius de substitut. cap. 1. num. 1. sed impugnat Leonius loco relato supra num. 6. 10. & 11. ubi num. 14. 18. & 19. alias tres diffinitiones adducit, & convincit eas, & num. 14. novam diffinitionem tradit, quam esse bonam, atque ex genere & differentis constare, n. seqq. contendit: tres alias diffinitiones refert Alexander Trentacinqvius de substit. cap. 1. n. 1. per totum, ubi ipse novam diffinitionem tradit: duas Bolognetus in rubrica, ff. de vulg. & pup. substit. n. 49. unam Joann. Oinotom. in rubr. Institut. de vulg. substit. num. 8. Mihi magis placet diffinitio communis cum adjectione verbi cujusdam, ut scilicet substitutio vulgaris sit secunda institutio, quæ à quolibet & cuilibet fieri potest, & in casum non aditam hereditatis concipitur. Bartolus in leg. 1. numero 5. ff. de vulg. & pup. substitut. ubi latius Jason num. 13. & seqq. Guil. Bened. in capite Rainuntius, de testam. verbo, si absque liberis, de substit. vulg. num. 7. & ibidem Covarr. §. 4. n. 3. Sfortia in præfatione Compendioso, 2. part. quest. 1. Cagnolus in l. precibus, num. 3. C. de impuberum, Michaël Grassus receptarum sententiarum, §. substitutio, q. 6. D. Spino in speculo, gloss. 22. n. 1. qui dicitur in allegatione Fumei, 14. & Politi: ipse enim allegat eos, tanquam hujus communis diffinitionis sequaces, & tamen Fumeus expressè improbat eam, Politus verò non probat, sed aliter & 15. novè diffiniendum existimat. Antonius Pichardus in rubr. Institut. de vulg. substit. num. 73. & in princ. ejusdem tit. num. 9. ubi communi huic diffinitioni addit verbum quoddam